





11902

N<sup>o</sup> 14

1748, 23

DISPUTATIO IVRIDICA  
S E X T A

SELECTIORA IVRIS  
P R I N C I P I A

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI III. SPECIMEN I. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

I N D V L T V

P R A E S I D E

IO. TOBIA RICHTERO

P H I L . E T I . V . D .

AD DIEM XXI. AVG. A. C. N. MDCCXLVIII.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM PROPONIT

ERDMANN FRIDERICVS RITTERVS

ZSCHOP. HERMVND.

---

L I P S I A E

LITTERIS LANGENHEMIIS.

*L. S. Gouss.*



1102

1102

DISPUTATIO IURIDICA  
SEXTA  
SELECTIORA IURIS  
PRINCIPALIA

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI III. SECTIO I. CONTINENS

QUAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
INDVLTIVS  
PRAESIDENS

IO. TOBIA RICHTERO  
PHIL. ET L. D.

AD DIEM XXI. AVG. A. C. M. MDCCXXVIII.

HAEREDVM FRIDERICVS RITTVS  
RICHMOND. HERRMANN.

L. P. S. T. A. B.  
LITTE. S. C. A. C. H. S. E. R. I. T.

1102





Q. D. B. V.

SELECTIONVM IVRIS  
PRINCIPIORVM  
AD DIGESTORVM  
LIBRVM III. SPECIMEN I.



I.

duocatis respublica bene ordinata  
vix potest carere, quia bono com-  
muni necessario inferuiunt. Post-  
quam enim Leges praescriptae a quolibet sci-  
ri debent, <sup>a)</sup> et ignorantia iuris nocet, <sup>b)</sup> ne-  
cesse est, vt sint nonnulli in republica viri,  
qui iurisprudentiae operam nauant et subditis  
tum in iudicio tum extra illud in gerendis ne-  
gotiis adsistunt, quia fieri nunquam potest, vt  
omnes ac singuli vel propter temporis penuriam,  
vel propter intellectus defectum, ius  
A 2 plene

#### 4 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

plene addiscant. Cum etiam iudex, vt litem decidat, tam narratione facti congrua, quam iurium quandoque allegatione instruendus sit, atque ordo iudicii seu forma processus obseruari debeat, quorum neutrum a quolibet vel non erudito vel iuris imperito satis expediri potest; aduocati vt sint oportet. Et sicuti fructibus gignendis colligendisque quidam tantum operam dant, neque omnes ac singuli ea re occupati agros colere et semina spargere possunt, vtilitas autem eorum in quemuis necessario redundat; ita, vt viam et vtilitatem iuris monstrantes, actionibus priuatorum cum Legibus conformandis nonnulli tantum consulant, necessitas quaedam postulat, quia cuncti iurisprudentiam colere nequeunt, cuius tamen vtilitas ad singulos spectat.

a) L. 2. L. 29. ff. de LL.

b) L. 9. ff. de iur. et fact. ignor.

#### II.

Nec impeditus nec prohibitus postulare, partium consensu potest admitti; illum enim ab hoc officio naturalis defectus excludit, hunc autem auctoritas Legum repellit. Iam quae naturaliter alicui defunt illa suppleri a nemine possunt: quae vero publicis Legibus inhibentur

hibentur iis per pacta priuatorum derogari non debet; <sup>a)</sup> quare intellectus usu destitutus, mente captus, surdus aliique, aut minores annis decem et septem, infames <sup>b)</sup> a facultate pro aliis postulandi arcentur, tametsi partes eiusmodi personas postulare maxime velint. <sup>c)</sup> Huc et foeminae pertinent prohibitae, ubi quidem admodum incertum est quod ait *Ulpianus*, <sup>d)</sup> id introductum esse propter *Carfaniam* foeminam improbissimam, quia initio *Reipublice Romanae* <sup>e)</sup> mulieres ab omnibus negotiis et conuentibus publicis exclusae vix ad proprias causas agendas admissae fuerunt, siquidem in perpetua tutela erant, adeoque tutoris auctoritate, si legitimo iudicio agerent, indigebant. <sup>f)</sup>

a) L. 38. ff. de pact.

b) L. 1. §. 3. 5. 8. ff. de postuland.

vid. *ARVMÆI* Exercit ad Pand. Disput. V. th. 5.

c) L. 7. ff. de postuland.

Obst. L. pen. C. de pact.

d) in L. 1. §. 5. ff. de postuland.

e) *PLVTARCH.* in Comparat. *Numae et Lycurgi* LI-

*VIVS* Lib. XXXIV. c. 2.

f) *CICERO* pro *Muraena* c. 12.

### III.

Iudex et advocatus nemo est in eadem causa; <sup>a)</sup> ne pertinaciter insistat ei, quod contra

## 6 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

tra iuris rationem semel forte statuit, atque sic a recto iustitiae tramite abductus in errore persistat, partique quod suum est denegat. Inde sequitur, ut nec in secunda instantia quis pro sua sententia recte postulet. Idem enim quod iam dixi et hoc casu metuendum est. Ad haec verba Legis: <sup>b)</sup> *non idem in eodem negotio sit aduocatus et iudex*, tam sunt generalia ut optime ad casum secundae instantiae pertineant, inprimis cum plerumque fiat, ut acta remittantur.

a) L. 6. pr. C. de postuland.

b) all. L. 6. pr.

Obst. L. 5. ff. de offic. assessor.

Dissent. STRYKIVS ad Lauterbach p. 58. voce iudices.

### IV.

Quando quaeritur: an aduocatus a praxi remotus in omnibus foris, an in eo tantum, ubi condemnationem est passus, censi debeat exclusus? res ita determinanda videtur: videndum an quis qualitatem aduocati amiserit an non? Si prius, in omnibus omnino iudicii erit exclusus, quia desit aduocatus esse. Sin posterius, forum condemnationis tantum ipsi est interdictum, quia poenalia non extenduntur. \*) Fluit ex his, remotionem in dubio stricte capiendam et interpretandam esse, adeo-



adeoque remotum non statim ab omnibus iudiciis excludendum. Omni tamen casu, etiam vbi in perpetuum exclusus est, negotiis extra iudicium celebrandis interesse potest, quia indiget sustentatione, <sup>b)</sup> nec ad delinquendum inuitandus est. Erit itaque a consiliis contrahentium, transigentium et eiusmodi aliorum dummodo ablineat ab iis, quae iudici offeruntur. <sup>c)</sup>

a) L. 9. ff. de postuland.

b) arg. L. 2. C. de aliment pupillo praestand.

c) L. 1. §. II. ff. de extraord. cognit. BRUNNEM. ad L. 1. C. de postul. n. 4.

Dissentiunt nonnulli quos vide apud HILLIGER in *Donellum* Lib. XVIII. c. 3. lit. Hh. *qui prohibitum in scriptis consuli posse volunt.* conf. BERGERI *Oecon. iur.* Lib. IV. Tit. 8. §. 2. not. 8.

### V.

Et causam famosi latronis salua conscientia suscipit et gerit aduocatus; quinimo ad eam suscipiendam inuitus a iudice cogitur. Defensor enim hoc loco est aduocatus, et durante inquisitione officio suo fungitur; hinc adducere potest et debet ea momenta, ex quibus apparet vtrum sit inexcusabile crimen, quod ex actis nunc plene instructis eo clarius elucescet. Neque sic inauditus condemnatur,

tur, quod alias contigisse videri poterat. Deinde ipsum aduocati officium iam exigit ne quicquam afferat aut defendat, quod est iniustum. Satis itaque securus et tranquillus famosi latronis defensor esse potest.

Dissent. LAVTERBACH Coll. Pandect. Lib. III. tit. I. §. 17.  
Obst. L. 16. ff. de appellat.

## VI.

Errores aduocatorum veritati praeiudicium afferre non posse manifestum est, <sup>a)</sup> hinc et eos corrigi et reuocari nemo inficiatur, dummodo id fiat ante rem iudicatam <sup>b)</sup> et erratum aut parte absente, <sup>c)</sup> aut a parte praesente vel triduo proximo, vel post sententiam interposita appellatione contradictum sit. <sup>d)</sup> An vero et quatenus contrarii probatio sit necessaria aut a iudice quicquam suppleri possit nunc videamus? Qua in re determinanda sequar meditationem Summe Reuer. IO. FLORENTIS RIVINI. <sup>e)</sup> Videndum scilicet est an causa et error sint alicuius momenti, nec ne, et an non protractio processus metuenda? Quodsi magni praeiudicii error deprehenditur, non nisi sub contrarii probatione retractatio admittetur, quia ius alteri ex alterius confessione iam erat quaesitum. Id etiam propterea iustum est, ne quis errorem studio multo-

multoties committat eumque reuocet et sic processum longius iusto protrahat. Pone vero errorem pretii vilioris, nec mediocrem processus confusionem ex reuocatione sollemni oriundam, contrarii probatio non potest non plus detrimenti quam emolumenti afferre; hinc eiusmodi errorem a parte simpliciter corrigendum esse arbitror. Tandem id addo, quoties contrarii veritas manifesta est, reuocationi omni casu simpliciter esse locum, ita vt etiam a iudice suppleri defectus queat.

- a) L. 2. C. de error. aduocator.
- b) arg. L. 3. C. eod.
- c) L. 1. C. eod.
- d) all. L. 3. C. eod.
- e) in diff. de fine litium vt finiantur §. 13.

Nonnulli aliter sentiunt vid. BRUNNEMANN ad L. ult.  
C. d. t. et STRVVI Synt. Iur. Ciu. Exercit. VII. th. 12.

## VII.

Aduocati etiam in causa propria, si operas ipsimet praestiterunt et obtinuerunt, ita vt aduersarius in expensas sit condemnatus, omnia, quae salarii nomine debentur exigere possunt; nullam enim hactenus vidi veram Legis prohibitionem, nec argumentum congruum in contrarias partes deprehendi. Quinimo nemini officium suum debere esse damnosum

B

mnosum

IO SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

mnosum <sup>a)</sup> omnes fatentur. Tandem nec poena temere litigantium, etsi lis cum aduocato instituta, cessare debet; <sup>b)</sup> quod tamen fieret nisi aduocatus et in propria causa impensas petere posset. Frustra igitur aliter sententiarum opinio <sup>c)</sup> limitatur: nisi eas petant aduocati per modum damni et interesse; regula namque destructa non opus est limitatione.

a) L. 7. ff. Testam. quemadm. aper.

b) §. in f. I. de poen. tem. litig. L. 79. pr. ff. de iudic.

c) quae in primis est GAILII lib. 1. Obseru. 151. n. 16. 17.

et BOECERI Cl. VI. d. 7. th. 38.

Dissent. dicti DD. all. loc. quibus annumerandus est CARPZOV P. I. Const. 31. def. 12. et 13.

Obst. L. 61. §. 5. ff. de furt.

VIII.

Infamia recte definitur per maculam ex turpi facto Legibusque notato contractam. Vbi enim nulla est turpitudine ibi nec infamia tanquam in poenam introducta imponitur, quippe quod omnibus, quae huiusmodi exempla tradunt Legibus, corroboratur. <sup>a)</sup> Sed nec sola turpitudine eam producit, quoniam turpia quaedam sunt licita, non enim omne quod licet honestum est; <sup>b)</sup> quare ut turpe factum Legibus notatum sit, ad effectum infamiae, necesse est. <sup>c)</sup> Nisi itaque in diiudican-

da

da aequae ac imponenda infamia dicta duo requisita semper coniungamus, fieri facile potest, ut contra Leges aut infamia oneremus eum, qui illam promeritus non sit, aut ab ea notandum liberemus.

- a) vid. L. f. C. Loc. Cond. L. 4. L. 17. de excus. tutor.
- b) L. 144. pr. ff. De R. I.
- c) L. 13. C. ex quib. caus. inf. irrog. L. 7. ff. de publ. iudic. L. 5. §. 1. ff. de extraord. cognit.

Aduersa nobis est doctrina communis de infamia facti.

## IX.

In sensu et effectu iuris statui non potest, fundatam esse darique infamiam facti. Cum enim omnis infamia requirat factum Lege notatum, \*) quomodo solum turpe factum efficiat infamiam, absque manifesta contradictione non perspicitur. Accedit quod communis interpretum infamia facti omni careat effectu: neque satis quidem discerni possit et cognosci; quid enim hoc sibi vult: *quorum existimatio apud graues et honestos viros laeditur?* quales quaeso hi erunt? Denique omnis infamia ius et factum iam supponit; quare propterea nec iuris tantum nec facti tantum esse potest. Cuncta quae in contrarium adducuntur vel agunt de famae iactura vel nostram sententiam magis confirmant.

a) h. Diff. posit. VIII.

Dissent. ARVMAEVS Disp. V. th. 9. ob L. 2. ff. de obsequ. parent. et patron. et L. 3. ff. de testib. Obst. L. 13. C. ex quib. caus. inf. irrog. et L. 27. C. de inoffic. testam. L. 2. C. de dignit.

## X.

Leuis notae macula non nisi facto vili abiecto et sordido eoque proprio contrahitur; iniustum enim est iis grauari, quae ex facto alieno sequuntur, odiosa. <sup>a)</sup> Male igitur illegitime nati cuiuscunque generis sint, leui nota maculati dicuntur, quia parentes deliquerunt et natis nihil prorsus imputari potest. <sup>b)</sup> Quae vero sint abiecta illa facta ex moribus quidem diiudicandum est, quia deficit determinatio Legum, ita tamen, vt quod Leges expressim statuerunt haud negligatur. <sup>c)</sup> Ita ex priuilegio imperatoris Leopoldi I. <sup>d)</sup> castratores suum in quibusdam imperii territoriis in integrum veluti restituti et a macula, qua alias laborabant, liberati sunt, vt in tractu Colonienfi, Electoratu Saxoniae, Marchionatu Brandenburgensi, Ducatu Luneburgensi aliisque terris.

a) arg. L. 22. C. de poen.

b) vid. BRVNNEM, ad L. 27. C. de inoff. testam. n. 5.  
Dissent. idem d. l. n. 4.

c) conf. Reform. Polit. de ao. 1577. tit. 38.

d) de

d) de anno 1699. vid. LVNIGII Reichs-Archiv. P. general. p. 572.

## XI.

Ponamus spurios aliosque illegitime natos heredes institutos, an fratribus defuncti quærela competat inofficiosi testamenti? nego; nam nec infames sunt nec levis notae macula laborant, a) adeoque sub illis, quos eum in finem imperator Constantinus recenset non continentur. b)

a) h. diff. posit X.

b) in L. 27. C. de inoffic. testam.

Dissent. LAUTERB. Conclus. Forens. Exercit. X. §. 19. ibique citatus CARPZOV. P. III. Const. 10. def. 10.

## XII.

Moribus hodiernis a rigore iuris civilis quodammodo recedi, et in irroganda infamia, etiamsi factum famosum sit, caute admodum procedi, sic ut vel poena dicatur, fama reservata iedoch an seinen Ehren unschädlich, vel aliter infamia notatus nemo reputetur, nisi hoc expressum in sententia et hæc in rem iudicatam transferit, ad vnum fere omnes testantur. a) Eandemque consuetudinem vergere in reipublicae insignem utilitatem arbitror, quia infames effecti, ut Lauterbachius b) probat, dignitates quaesitas perdunt, a novis exclu-

14 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA

excluduntur et conuentibus honestorum virorum interesse vetantur. Quid inde certius sequitur, quam vt eiusmodi condemnatis occasio et spes quaerendi vitae subsidia abscindatur, ac eius loco, cum tamen viuere velint, necessaria quaedam ad delinquendum inuitatio veluti iniungatur. Consultius itaque omnino videtur, punire quidem turpiter agentes, attamen quantum fieri potest famam conseruare. Iustum inde est illud vulgatum: *man macht lieber ihrer zehen ehrlich als einen zum Schelmen.*

a) STRYK. VI. modern. Lib. III. tit. 2. §. 16. ibique citat  
CARPZOV. Pr. Crim. Qu. 94. n. 78.

b) Concluf. Forens. Exercit. X. §. 14.

Diff. STRYK all. I. Ob. L. 8. §. fin. C. ad L. Iul. de vi  
et L. 15. pr. ff. ad municipal.

XIII.

Pater quidam nobilis fiebat infamis; hinc quaerebatur: an haec patris ignominia et nobilitatis iactura illius liberis quoque noceret? Responderem, quod nocere etiam post infamiam irrogatam natis non posset; nam infamia est poena, quae ob turpe quoddam factum imponitur: poena vero non egreditur delinquentem, adeoque non nisi effectus personalissimos producit nec ita liberos tanquam  
non



non delinquentes tenet <sup>a)</sup> Scio quidem in crimine laesae maiestatis a parente commissio et liberos puniri; sed quicquid contra iuris rationem introducit non est producendum ad consequentias. <sup>b)</sup> Ad haec nobilitas praecipue hodierna integro generi conceditur, quare ubi quidam ea se reddidit indignum, id reliquis innocentibus nihil praecipui afferre potest. <sup>c)</sup>

a) L. 22. C. de poen.

b) L. 14. de LL. <sup>in fine</sup>

c) arg. L. 3. ff. de interdict. et relegat. L. 7. 9. ff. de senator.

L. 26. ff. de poen. L. 2. §. 7. ff. de decurionib.

vid. TIRAQUELL de nobilitate c. 24. et 35.

Obst. L. II. C. de quaestion.

#### XIV.

Infamia cum alia poena coniuncta, veluti condemnatione ad opus publicum temporali, elapso tempore non tollitur; duplex enim poena hoc casu est dictata, cuius altera non statim debet cessare, etsi altera forte finita sit. Nec adeo absolum esse solet, poenam duplicem sustinere delinquentem ut eo plenius coërceatur, quale exemplum in exasperatione poenae habemus, ubi reus ad locum supplicii ductus forcipe candente adhuc laceratur. <sup>a)</sup> Praeterea sola principis gratia maculam

16 SELECTIORA IVRIS PRINCIPIA ETC.

culam semel alicui iure inflictam tollit,<sup>b)</sup> quare lapsus temporis nihil efficere potest. Ita relegatus ad sex annos et simul infamia notatus etiam post reditum adhuc manet infamis. Addo tamen limitationem nisi infamia quoque sit ad idem tempus restricta.

a) Ord. Crim. art. 130.

Dissent. CARPZOV. Decif. 17. n. 4. ex arg. interpretum ad L. 5. §. 1. ff. de publ. iudic. et L. 6. ff. de sepulcr. violat.

b) L. 2. ff. de senator. Nou. 129. praefat.

Aliter sentit LVDOVICI Doctr. Pand. Lib. III. tit. 2. §. 12. Obft. L. 4. C. ex quib. caus. inf. irrog. et L. 15. pr. ff. ad municip.







ULB Halle  
004 195 175


3



f  
Sl.







11902

N<sup>o</sup> 14

1748, 23

DISPUTATIO IVRIDICA  
S E X T A

SELECTIORA IVRIS  
PRINCIPIA

A D

ORDINEM DIGESTORVM EXPOSITA  
LIBRI III. SPECIMEN I. CONTINENS

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

I N D V L T V

P R A E S I D E

IO. TOBIA RICHTERO

P H I L . E T I . V . D .

A D D I E M X X I . A V G . A . C . N . M D C C X L V I I I .

H . L . Q . C .

P V B L I C E V E N T I L A N D A M P R O P O N I T

ERDMANN FRIDERICVS RITTERVS

Z S C H O P . H E R M V N D .

L I P S I A E

L I T T E R I S L A N G E N H E M I I S .

*L. S. Gouss.*